



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118626**

§. 52. Tempus, quo Synodi decreta obligare incipient, a Papa indictum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](#)

**Sæcul. XVI.** „exeundis omnibus in Synodo de  
A.C. 1564. „cretis manum admovere vellent, &  
„quamvis circa hoc nil certi adhuc st-  
„tutum sit, nihilominus jam operam  
„navat Pontifex, omnemque suam fo-  
„licitudinem impendit, ut firmam Curia  
„Romanæ emendationem, quæ etian  
„ceteris exemplo esset, procurare valeat

## §. LII.

*Tempus, quo Synodi decreta obliga-  
re incipient, a Papa indictum.*

**C**um de tempore, a quo hæc de-  
cta servandi lex inciperet, dubi-  
taretur, Pontifex hanc difficultatem fu-  
laturus diploma edidit hujus tenoris:  
„Etsi ipsius Concilii decreta, etiam de  
„venerabilium fratrum nostrorum S.Ro-  
„manæ Ecclesiæ Cardinalium consilio,  
„& assensu, in Consistorio nostro secre-  
„to confirmata a nobis fuerint subfi-  
„nem mensis Januarii, & ab eo etiam  
„tempore apud hanc sanctam Sedem  
„observari coeperint: quia tamen non  
„parum temporis in eis Romæ diligen-  
„ter, emendateque imprimendis necel-  
„fario consumptum fuit, & jure etiam  
„communi sanctum est, ut Constitutio-  
„nes novæ vim nonnis post certum  
„tempus obtineant, æquum nobis, &  
„justum visum est, prædicta Decreta o-  
„mnia ad dictam reformationem, jus-  
„que

que positivum duntaxat spectantia, prima Sæcul. XVI.  
„Maji proxime præteriti Mensis omnes A.C. 1564.  
„obligare cœpisse, neque post eam diem  
„excusationem cujusquam, quod ea i-  
„gnoraverit, admittendam, atque ita  
„Apostolica auctoritate declaramus. „

Sub idem ferme tempus præfatus Pontifex octo Cardinalium, qui horum decretorum executioni præcessent, congregationem instituit, eisque omnem auctoritatem ad hoc necessariam concedit, necnon consentiente sacro Collegio Morono, & Simonettæ Cardinalibus, qui in Synodi rebus admodum versati erant, negotium dedit, ut sedulo præcaverent, ne quicquam Patrum Senatui adversum proponeretur.

### §. LIII.

#### *Dissidium circa loci prærogativam inter Benedictinos, & Canonicos Regulares a Papa com- positum.*

Tandem etiam summus Pontifex Pius *Ciacon. in  
vit. Pont. to.* IV. componebat dissidium, quod per *3. p. 880.  
Pennot hist.* integrum ferme sæculum inter Bene-  
dictinos Cassinenses olim de Sancta Ju-  
stina dictos, & Canonicos Regulares ex *Can. Reg.  
l. 2. c. 71.* Congregatione S. Joannis Lateranen-  
sis Ordinis S. Augustini circa honoris *Spond. hos  
ann. n. 18.* prærogativam seruebat; itaque die de-

Q 5

cima